

**Brendel, Johann Gottfried . -
Commentarioli practici in Coacas
Hippocratis praenotiones pensum I.
quo praenobilissimi doctissimique
candidati Benedicti Henrici Loehr
Wustrovia-Luneburgici dissertationem
inauguralem De lethargo d. 17. Iun.
a.r.s. 1752 h.l.q.c. habendam indicit ...
prodecanus Io. Gothofredus Brendel ..**

1752.

***Gottingae, Typis Johannis
Christ. Ludolph. Schultzii
Cote : 90959x70x17***

n^o 17

COMMENTARIOLI PRACTICI
IN COACAS HIPPOCRATIS PRAENOTIONES

P E N S U M I.

QVO

PPAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE
CANDIDATI

BENEDICTI HENRICI LOEHR

WVSTROVIA - LVNEBVRGICI

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

D E L E T H A R G O

D. XVII. IVN. A. R. S. MDCCLII.

H. L. Q. C.

HABENDAM INDICIT

ORDINIS MEDICI

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRODECANVS

IO. GOTHOFREDVS BRENDEL

D. P. P. O.



G O T T I N G A E

Typis IOHANNIS CHRIST. LVDOLPH. SCHVLTZII, Academ. Typogr.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

COMMENTARIOLI PRACTICI

IN COACAS HIPPOCRATIS PRAENOTIONES

PENSUM I.


8vo

PRÆNOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE
CANDIDATI

BENEDICTI HENRICI LOHR

WURTEMBERGII

DISSERTATIONEM IN AUCTORITATEM



D. E. L. E. T. H. A. R. G. O.

D. XVII. M. A. R. T. M. D. C. C. C. L. I.

M. D. C. C. C. L. I.

HABENDAM INDICIT

ORDINIS MEDICI

IN ACADEMIA GEORGIA AUCTORITATE

PROFESSORIS

IO. GOTHORFIDVS BRENDEL

M. D. C. C. C. L. I.

GOTTINGAE

APUD JOHANNIS CHRIST. FRIEDRICH SCHNEITZER, AUCTORIS TYPIS



Q. D. B. V.

Coaca HIPPOCRATIS praefagia commentariolis quibusdam in usum clinicum instructurus, id agam unum omnium, ut pro instituti occasionumque rationibus, collatis, qui typis extant consignati, codicibus optimis, paucis exponam, quibusnam vel morbis, vel morborum temporibus oracula respondere illa, duce experientia, videantur: e quibus intellectu non omnino facilia quaedam sunt. Quare his quidem ex hortis non DVRETIANOS florum calathos, sed herbularum saltem Cerealiū modicos quasillos ministrabo. Venianus protinus ad propositum.

Ὅτι ἐκ εἴγεος περιψυχόμενοι, κεφαλαλγέες, τραχύηλον ὀδονόδεες, ἄφωνοι, ἐφιδρῶντες, ἐπανενέγκαντες θνήσκουσι. Qui ex rigore perfrigescunt, capite & collo dolentes, voce destituti, haec super sudantes, quum se receperint, moriuntur.

Liquido referri haec possunt ad paraphrenitides veterum, quae vel hodie febrium malignarum nomine ambituque obseruantur. Sunt phrenitides per consensum enatae, ex inflammationibus viscerum quorundam imi ventris, maxime hepatis vterique. Aliae, exanthemata quidem naturae, horroribus inuadere potius solent: aliae, de quibus hic sermo est, rigore quodam. (a) Acutae

(a) In ipso hic limine conferri e re erit, commentarium medicum de praefagiis ex algore in acutis, Generosiss. Viri, C. G. de BERGER, M. D. Regis nostri Augustiss. Medici Aulici, ditionisque Cellenis Physici, editum Gottingae, 1750.

ardentiores, vt pleuritides, rheumatismi acuti, aliaque, id habent, vt algoris modo calor respondeat, adeoque rigorem sequatur aestus vehementior: quorsum imprimis pertinet, quum post rigorem πύρ επιλαμβάνειν, itemque οξύτατον πυρετόν, aestum febrilem vehementissimum, εκλάμπειν, in Hippocraticis legitur. (b) Quae autem febres acutae phrenitidum sunt tribules, mites esse consueverunt, neque ad contactum adurentes, vt saepe vereque monet HIPPOCRATES. Obseruamus scilicet, quasdam paraphrenitides, siue malignas febres, rigore quidem ordiri, sed huius pro modo aestum non subsequi, quin per vnum pluresue dies, de algoribus horribus, ne, vel sub ipsis exacerbationibus, aegros conqueri. Id vero est, ex rigore, siue post rigorem, perfrigerari: haec sunt istae (c) εκρύγος κατάλυξες κακai, μη αναθερμαίνόμεναι, pro ratione quippe rigoris: haec ista κακοήθεια, εν βίγαν σμικρῶς ιδρῶσι περιλυχόμενα. Capitis & colli dolores, atque hi quidem deliriorum antesignani, inter alia symptomata, quae alibi refert HIPPOCRATES, imprimis stuporem, morositatem quandam, tristitiam, catarthi quaedam simulacra, linguam albam & siccam, aut apice humidam, dorso aridam, sudores leues & fugitiuos, somni cupidinem, per somnum breuem pauores, delira insomnia, paulo postea vigilias, praecordiorum, dorfi, & lumborum dolores, per harum initia febrium notissima sunt. Sub vigorem febris, inter deliria, obscurior loquela, & ἀναυδία primo, tumque aponia, accedunt. Hoc tempore simul sudant profusus, aut capite saltem, facie, ceruice & dorso, aut reliquo item corpore, etsi membra vix tepeant. Redeunt ad se, & respiscunt, ante mortem, vel vno interdum alteroque die. Εφιδρῆν, alias notat leues & fugitiuos sudores, in acutarum maxime initiis; alias, qui partitim, & maxime superioribus, vt capite, collo, contingunt: alias denique, qui superueniunt alia symptomata, iisque se addunt, vt φρικώδεις εφιδρῆντες dicuntur, qui horrores inter sudant. Vocem επαναφῆρειν ne mutemus, & ipsa suadet experientia, & frequens est Graecis ἀναφῆρειν,

(b) De morb. I. De veteri med. 29.

(c) Prorrhet. I. s. Lind.

ἀναφέρειν, ad se redire, se, vel quidquam recipere, significatu elliptico, vt παραφέρειν, delirare. Ita ILL. GESNERVS nosler, quem merito secutus sum, LUCIANI verba (d), ὡς περ καὶ ἐν μέδης βαθείας ἀναφέροντες, sic reddidit: quasi ex profunda se ebrietate recipientes. Vicissim apud ARETAEVM (e) legitur ἀναφέρειν cum voce subintellecta: ἦν δὲ ἀναφέρειν μὲν ἤδη τὴν αἰσθησιν. An GALENICA huius vocis explicatio (f) commodè transferri huc possit, equidem animi haereo. Ἄναφέρειν, inquit, δηλοῖ ποτε καὶ τὸ ὑπολύζειν ἀναπνέοντα, καὶ ἀναφέρειν, ὡς περ τὰ παιδία, τὰ πεπαυμένα κλαίοντα, κ. τ. λ. Exploratissimum quidem est, respirationem hanc, in malignis potissimum, propius a morte obseruari, variisque locis ab HIPPOCRATE describi: sed redeuntes ad se ante mortem paraphreniticos, & experientia non rara offert, & ἀναφέρειν vel ἐπαναφέρειν, de efferendo spiritu, in HIPPOCRATICIS, sine adiecta voce πνεύματος, vix occurrit.

(2) Ἄι μετὰ καταψύξις δυσφορίας, κάκισται.
Cum algore morbum ferre inquietius, pessimum.

Pertinet ad initia phrenitidis & paraphrenitidum omnium, febriumue malignarum. Videmus aegros tum vix tepidos, quin algidos potius; ceterum anxios, inquietos, morosos, modo orthostadios, modo cubile repetentes: quae quidem sunt hae δυσφορίας. Explanatio legitur idem locus in Prorrheticis (g): Ἄι μετὰ καταψύξις, ἐν ἀπύρετῳ, ἐφιδρῶντι τὰ ἄνω, δυσφορίας, φρενιτικαί, καὶ μὲν τοὶ ὀλέθρια. Dicuntur aegri hi ἐν ἀπύρετοι, propter mitem aspectu contactuque febrem: ἐφιδρῶντες τὰ ἄνω, quod iam tum, superioribus potissimum partibus, capite, ceruice, summo dorso, sudent. Non dubito, quin καταψύξις hoc loco & horrores complectantur. Eaedem δυσ-

(3

φορίας,

(d) In Alexandro siue Pseudomanti, T. II. editionis elegantissimae, p. 232.

(e) De cur. acut. L. I. 2.

(f) In explic. vocum HIPPOCRATIS, ed. Aldinae T. V.

(g) Lib. I. 4.

φορίαι, & per exordia febrium hodiernarum exanthematicarum, & variolarum, praesertim mali moris, obseruantur.

3) Κατάψυξις μετὰ σκληροσμῶ, ὀλέθριον.

Algor, cum duritie quadam cutis & articularum, exitialis.

Incidere solet, instante morte, in phrenitidem veram, in malignas non exanthematicas, in acutas alias, sine criseos cuiusdam vel abcessuum indicia a morte proprioeres; in lethargum, carum, apoplexiam, in conuulsiones strictim dictas, praesertim spasmum istum inferioris maxillae letalem; in asthma senum haemorrhoidale; in icterum acutum; in hydropem denique & tympaniten, membris potissimum superioribus & facie. Σκληροσμὸν istum sic explicandum videri, & ipsa docet experientia, & alia, tum HIPPOCRATIS, tum aliorum respondentia, loca. Videmus, istis aegris illo tempore membra frigida esse, cutem simul rugosam, intentam, duram; articulos difficilius flexiles. Alibi HIPPOCRATES (f): Ἄι ζυτῶσιες τῷ σώματι, καὶ οἱ σκληροσμοὶ τῶν ἄρθρων, κακόν. Damnat (g) περιτῶσιαι δέρματος ἀνευ κρίσεως, καὶ ζύμπτωσιν ὀμμάτων, καὶ σώματος σκληρώτητα ξηρῆν. Eundem σκληροσμὸν vocat δέρματος περιτῶσιν καρφαλέα, itemque δέρμα καρφαλέον καὶ περιτεταμένον (h). De tetano ARETAEVS (i): ἀτάρ καὶ τὸ δέρμα πᾶν καρφαλέον καὶ τρηχὺ περιτέταται. De lethargicis quibusdam AETIVS (k): περιέψυκται τὰ κῶλα, καὶ ἔυσσά, καὶ ὠχρά ἐσι, καὶ πέπηγο σχεδὸν ἢ σύγκρισις, id est, compages corporis, articuliue.

4) Ἐκ καταψύξεως φόβος καὶ ἀθυμῆ ἀλογος, ἐς σπασμὸν ἀποτελευτᾷ.

Ex

(f) Epid. VI. 1.

(g) Epid. IV. 27.

(h) Epid. III. Sect. 3. aegrotō 15. & 16.

(i) De curat. acut. I. 6.

(k) Lib. IV. c. 3.

Ex algore quodam timor, & animus sine ratione deiectus, finiuntur in conuulsionem.

Imminentis paroxysmi epileptici & hysterici grauioris, certum praefagium, si praesertim urinae tum temporis simul aquosae fuerint, neque a potu tales, spasticusque dolor in collo & dorso, & stupor quidam, & turbulenta insomniā (1). Scilicet maxima pars epilepticorum, pubertatem egressorum, simul ex hypochondriis laborat. Huc omnino referendae animi istae mutationes, urinaeque sine potu aquosae, splenicorum scilicet. Verissime HIPPOCRATES (m): *οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασαι γίνεσθαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. καὶ οἱ ἐπιληπτικοὶ, μελαγχολικοὶ.*

Veniendum est ad Virum Praenobilissimum, Candidatum dignissimum,

BENEDICTVM HENRICVM LOEHR

WUSTROVIA-LUNEBVRGICVM.

Is de natalibus suis, vitaeque in literis praeclare actae rationibus, his exposuit:

Natus Wustroviae, Lüneburgico vico, A. R. S. 1727, Patre FRANCISCO THEOPHILO LOEHR, diuini verbi ministro, pridem ad coelites transgresso, matre ANGELICA ELISABETHA, e gente MIORVM, deinde a Viro plurimum Reuerendo, DAVID PETRO LINDES, Archidiacono Luchouiae meritissimo, secundum ducta, iis omnibus mature seduloque imbutus, quibus puerilis aetas erudienda est, anno aetatis 14. Altonam commigraui, ibidemque Viris Celeberrimis, FLESSAE, MATERNO de CILANO, PROFIO, REICHARDO, HENRICI, operam dedi. Inde Ienam profectus, Prorectore B. ECKHARDO, philosophica didici praecunte ILL. DARIES: physica, mathematica, anatomica, botanica, physiologica, pathologica, semiotica & materiam medicam, Praeceptore ILL. HAMBERGERO; anatomica item & chirurgica, duce ILL. KALTSCHMIDIO. Exactis ibi annis duobus, in hanc ipsam inclytam Ge-

(1) Coacar. V. 83.

(m) Epid. VI. 8. 95.



orgiam Augustam me recepi, Praeceptores nactus omni laude maiores, Illustrem ordinis medici Primarium, RICHTERVUM, in institutionibus elegantissimis & vtilissimis Praxeos Medicae, ad ductum aphorismorum BOERHAVEANORVM; in praescribendis remediis, & penitissimis addiscendis materiae medicae thesauris. ILL. & GENEROS. DE HALLER in physiologicis, anatomicis, botanicis, chirurgicis & medicina forensi: ILL. SEGNERVUM in mechanica veriore ad physiologiam applicanda. EXC. ROEBERERVUM in osteologicis.

Meis denique praelectionibus, practicis, chemicis, obstetriciis, aliisque ad rem medicam referendis, sedulo interfuit. Appellato ordine nostro, datisque in examine eruditionis praeclarae solidaeque speciminibus, suffragiis omnium ornatus, cathedram conscendet, me praefide dissertationem suam *de Lethargo* defensus, praemissa lectione cursoria *de usu bilis*: postea honoribus Doctoris, PRAESCITV & ASSENSV SPLENDIDISSIMI ACADEMIAE CANCELLARII insigniendus. MAGNIFICVM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLVSTRISSIMOS S. R. I. COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS, SENATORIOS VRBIS PROCERES, DOCTORES OMNIVM ORDINVM, CIVES PERILLVSTRES, GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS, rogatos cupio reuerenter & perofficiose, disputationis haec solemnia praesentia sua multo honorificentissima ornare velint atque condecorare. P. P. in Acad. Georgia Augusto, Sigillo Ordinis Medici d. 16 Iun. 1752.

